

ausuri pro gratia nostra. Datum Cracouiae in conventione generali feria quarta ante festum Purificationis Sanctissimae Dominae nostrae Mariae proxima, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo secundo [3 I 1532], regni vero nostri anno vigesimo sexto. Ex mandato Sacrae Regiae Maiestatis proprio.

IX. ^aLITTERAE AD CAPITANEOS TOTIUS REGNI CONTRA NOBILES HOMICIDAS^{-a}

Magnifice, sincere nobis dilecte. Cum animadverteremus, quod per intermissionem statuti contra homicidas, in conventu Pyotrcouensi^b anno Domini millesimo quingentesimo decimo^c editi¹, multa passim homicidia, magis consulto ac dedita opera per licentiam et temeritatem, quae ex impunitate proficiscitur, quam ex aliquo casuali eventu per nobiles in regno nostro committerentur in perturbationem status et pacis communis regni nostri ac publicae honestatis nostrarerque auctoritatis levipendium, volentes ea ipsa homicidia, in quibus aequi ac probi facti et necessitudinis interdum nullus respectus versatur, metu et severitate poenae refrenare et sistere, id quod ratio publici boni ac officii nostri regii postulat et requirit ad instantem petitionem nuntiorum omnium terrarum ac de consilio universi senatus ipsius regni nostri in conventu generali Cracoviensi proxime praeterito congregati, statutum praedictum in conventu Pyotrcouensi^d, anno millesimo quingentesimo decimo editum^e ad trium annorum decursum innovavimus, prorogavimus et in execusionem debitam id omnino ponendum esse decrevimus, ita videlicet, quod omnia homicidia a die inchoati^f ipsius conventus Cracoviensis proxime acti per nobiles possessionatos commissa et postea ad trium annorum decursum committenda, quae capitaneus loci cum castellano vel iudice aut succamerario nobis detulerit, debeant per nos iuxta eiusdem statuti Pyotrcouensis^g puniri^h.

Quapropter cupientes nos huiusmodi statutum iuxta ipsius et iustitiae tenorem exequi, mandamus Tuae Sinceritati, ut de ipsis homicidiis nobilium possessionatorum et impossessionatorumⁱ capitaneatus sui a die inchoati^j conventus Cracoviensis proxime praeterito patratis et in subsequentia tempora ad decursum trium annorum patrandis diligenter inquirat eorum^k autores et patratores ipsa Tua Sinceritas una cum castellano vel iudice aut succamerario nobis absque omni cunctatione et conniventia deferre omnino curet ac deferat pro gratia nostra et sub poena contra negligentes capitaneos statuta non aliter factura.

^lHaec clausula eisdem litteris inserenda ad nonnullos capitaneos Minoris Poloniae.

Mittimus autem Tuae Sinceritati constitutiones communi omnium consilio et consensu in conventu Cracoviensi proxime praeterito constitutas et decretas, inter quas illa quoque de homicidiis per capitaneos iuxta statutum conventus Piotrcouensi dudum editum et nunc ad tres annos prorogatum nobis deferendis et per nos puniendis continetur, ut de illis Tua Sinceritas non ignoret easque pro debito suo in his, quae ad eius spectant officium, exequatur. Datum Cracouiae feria quarta Paschae anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo secundo [3 IV 1532], regni nostri anno XXVI^o. Ad mandatum proprium Regiae Maiestatis^l.

^{a-a} W oryginalne brak tytułu. ^b Piotrkoviensi AT. ^{c-c} W AT: anno Domini 1510. ^d Piotrkoviensi AT. ^e praefato editum AT. ^f inchoati AT. ^g Piotrkoviensis AT. ^h dispositionem puniri AT. ⁱ Słów: in impossessionatorum brak w AT. ^j inchoati AT. ^k eorumque AT. ^{l-l} Tekst ten znajduje się tylko w MK2.

¹ Por. wyżej, nr XVII, I, pkt 22 — sejm walny piotrkowski 1510 r.